Diceres: dubitatio de rebus omnibus requisita a Chartesio est scilicet maioris certitudinis gratia, ex suppositione et ex voluntaria fictione, ita quod sponte imaginemur omnes doctrinas esse falsas; ergo talis dubitatio non est reprehensibilis sed laudanda. Probatur consequentia: non est reprehensibilis sed laudanda suppositio illa theologorum *utrum si Spiritus Sanctus non procederet a Filio distingueretur ab illo*. Similiter: fictio astronomorum immaginantium equatorem, zodiacum aliosque circulos in coelo; ergo neque reprehensibilis est etc. Consequentia sequitur, quia, sicut citatae suppositiones ordinantur ad facilius et securius veritatem cognoscendam, ita suppositio Chartesii etc.

Respondetur primo: negatur antecedens; talis enim interpretatio non est ad mentem Chartesii, qui ponit dictam dubitationem non tamquam suppositionem sed tamquam firmum principium suae doctrinae, ex quo infert hoc aliud: 'ego cogito ergo existo'. Ex suppositione autem libera numquam infertur aliquid de facto, sed est sub conditione; sic si libere supponerem me esse Venetiis, non inferrem: ergo hoc facio Venetiis; sed hoc fac(551)erem. Deinde suppositio libera non indiget probatione; Chartesius autem nititur probare dubitationem ractionabilem esse ex sensuum fallacia etc.

Respondetur secundo: oppositum antecedentis, oppositum consequentis et ad principium non contradictionis et principium disparitas, quia allatae suppositiones supponunt rei veritatem. Sic theologi supponunt Spiritum Sanctum a Patre et Filio procedere; sic etiam astronomi supponunt in eo coeli spatio in quo zodiacum immaginant vere solem moveri. Dubitatio autem Chartesii nullam veritatem supponit, quod si in ea supponere dicatur, statim infertur; ergo dicta dubitatio non est necessaria ad inquirendam veritatem. Deinde allatae suppositiones fiunt ad perscrutandas res occultas et dubias; dubitatio autem Chartesii versatur circa res caertissimas. Demum praedicta dubitatio de rebus etiam caertissimis habenda est autem ut cognoscatur veritas rerum occultarum vel rerum caertissimarum. Si primum: manifestum est esse medium omnino ineptum ad cognitionem veritatis in rebus occultis dubitatio rerum caertissimarum, cum

potius <haec>¹⁰⁸ certitudo in illarum cognitione nos ducat. Si secundum: implicat in terminis; quomodo enim inquirere id quod iam notum est? Neque valet dicere quod esto rei certae sint, non tamen modo scientifico et demonstrativo; sunt enim quamplura quae ita evidentia sunt ut ne(552)queant demonstrari, ut exempli gratia quod totum sit maius sua parte etc.

Articulus secundus de secundo et tertio Chartesii principio

Circa secundum principium *ego cogito ergo sum*, quamvis bona sit illa illatio, falsum tamen est illam cognitionem esse omnium primam, ut asseritur a Chartesio, quia illa cognitio supponit cognitionem cogitationis et existentiae. Unde hoc animadvertens ipse Chartesius ait «Ubi dixi hanc propositionem ego cogito ergo sum esse omnium primam, non ideo negavi quod ante ipsam sciri oporteat quid sit cognitio, existentia, certitudo»¹⁰⁹ etc. Deinde hoc principium ‘ego cogito ergo sum’ supponit illud aliud *impossibile est quod illud quod cogitat non existat*¹¹⁰; quandoquidem in ipsis verbis Chartesii assignatur tamquam ratio propter quam assentire debemus dicto principio. Ulterius etiam in sententia Chartesii illud principium nequit esse evidens, quandoquidem si dubitandum est de omnibus; ergo etiam de illo. Neque valet dicere non esse dubitandum de illo principio, quia impossibile est quod illud quod cogitat non sit; quandoquidem etiam est impossibile quod totum sit maius sua parte et nihilominus iuxta ipsum de hoc est dubitandum. Denique dum post illam dubitationem infert Chartesius hoc principium: ‘ego cogito ergo sum’, quod vocat primam cognitionem, adhuc nescit utrum talis naturae sit (553) creatus ut fallatur et in hiis que evidentissima apparent; quandoquidem nondum in cognitionem Dei venit, cum cognitio existentiae Dei iuxta ipsum sit tertia, que ex illa rerum omnium dubitatione proficiscitur.

Circa tertium principium *Omne quod a nobis clare et distincte percipitur est verum nihilque est admittendum tamquam verum quod a nobis clare et distincte non percipitur*¹¹¹ dico esse falsum quoad primam partem, si absque illa limitatione sumatur,

108 Ms.: haud.

109 DESCARTES, *Principia* I.10 (AT VIII, 8).

110 DESCARTES, *Principia* I.7 (AT VIII, 7).

111 DESCARTES, *Principia* I.43 (AT VIII, 21).

quandoquidem non choeret cum fide. Et probatur: post hostiae consecrationem clare et distincte percipit unusquisque ibi adesse substantiam panis, sed hoc est falsum; ergo etc. Probatur maior: iuxta Chartesium clare et distincte percipimus dari substantiam corpoream per hoc quod clare et distincte percipiamus dari extensionem: ergo clare et distincte percipimus dari talem substantiam corpoream per hoc quod clare et distincte percipiamus dari talem extensionem; nunc sic: sed post hostiae consecrationem clare et distincte percipimus ibi adesse extensionem panis; ergo clare et distincte percipimus ibi adesse substantiam panis.

Urgetur facta ratio ex Chartesio prima quod *Principiorum* numero 52 «ex hoc quod percipiamus adesse attributum concludimus necessarie adesse rem existentem sive substantiam cui illud tribuitur»¹¹²; sed post hostie consecrationem clare et distincte percipimus adesse attributa substantiae panis, scilicet colorem, saporem, figuram etc.; ergo iuxta ipsum debemus concludere adesse necessarie substantiam panis. Sed hoc (554) pugnat cum fide; ergo non omne illud quod a nobis clare et distincte percipitur habendum est tamquam verum.

Secunda pars vero supradicti principii ubi dicitur «illud scilicet esse verum quod a nobis clare et distincte cognoscitur»¹¹³ est omnino falsa; nam nos non cognoscimus clare et distincte nec cognoscere possumus sine speciali Dei revelatione secreta cordium aliorum hominum, cogitationes eorum, et tamen absque eo quod nobis communicentur aut revelentur sunt vera. Deinde si hoc verum esset, non esset admittendum pro vero adesse oceanum, fuisse homines eorumque operum historias. Preterea sequeretur esse abiurandam totam fidem, scilicet trinitatem quam non clare et distincte cognoscimus, realem corporis Christi in eucharistia praesentiam, quam non clare nec distincte cognoscimus.

Solvuntur Argumenta

Arguitur primo: si quod clare et distincte a nobis percipitur non esset verum, sequeretur quod falsitas esset in Deum luminis naturalis auctorem reducenda, quia dedisset homini potentiam cognoscitivam ab intrinseco fallacem; sed hoc dici nequitur; ergo etc.

Respondetur: praefatum argumentum esse illud idem quo utuntur Calvinus et Luterus ad probandum quod nostrum peccatum refunderetur in Deum qui

112 DESCARTES, *Principia* I.52 (AT VIII, 25).

113 DESCARTES, *Principia* I.43 (AT VIII, 21).

dedisset nobis potentiam, scilicet voluntatem peccabilem, quod fuse solvitur a theologis et praecipue a domino Thoma in Secundo distinctione 44a q. 2a art. primo¹¹⁴ et distinctione 37 <q. 2> articulo primo ad secundum¹¹⁵, ubi ostendit qualiter potentia, ut potentia et ut ens, est a Deo, ut vero (555) defectibilis est a seipsa que est principium deficiens. Unde instatur: argumentum non minus Deus est summa veritas quam summa sanctitas; sed si sit summa sanctitas potuit dar<e>¹¹⁶ homini potentiam peccabilem quin peccatum refundatur in Deum; ergo si sit summa veritas potuit dari homini potentiam falsitatis capacem, quin falsitas et error in Deum refundantur. Inferam igitur: negatur maior; potentia enim cognoscitiva est fallax quia est imperfecta, finita et limitata, non vero quia sit determinata naturaliter ad errandum, ac proinde non sequitur quod error in Deum reduci debeat, ut supra dictum est.

Instatur: tunc falsitas esset in Deum reducenda quando Deus faceret ut homo decipiatur dum perfectiori modo quo potest operatur; sed quod homo clare et distincte aliquid percipit perfectiori modo quo potest operatur; ergo etc. Maior est cognita, quia tum defectus homini tribui non potest.

Respondetur: distinguitur maior 'quod'¹¹⁷ Deus positive facit quod homo decipiatur'; conceditur maior: 'quod'¹¹⁸ id facit permissive tantum'. Negatur maior, et omittitur minor, negatur conclusio. Itaque Deus numquam facit positive quod homo decipiatur hominem in errorem inducendo; sed scilicet permissive, quatenus tamquam auctor supernaturalis facit ut obiectum alio modo se habeat in se quam lumen naturale in suo iudicio percipiat. Omissa fuit minor, quia rigore loquendo falsum est quod perfectior modus operandi in ordine ad attingendum verum sit clare et distincte rem percipere, maxime in sensu (556) a Chartesianis explicato; sed tunc habetur quando intervenit advertentia ad omnia ea quae supra in articulo primo in responsione ad instantiam secundi argumenti dicta sunt.

114 THOMAS AQUINAS, *Scriptum super libros Sententiarum*, II, d. 44, q. 2, art. 1 «Utrum obedientia sit virtus».

115 THOMAS AQUINAS, *Scriptum super libros Sententiarum*, II, d. 37, q. 2, art. 1 «Utrum Deus sit simpliciter causa peccati»; art. 2 «Utrum actio peccati, in quantum actio, sit a Deo».

116 Ms.: dari.

117 Ms.: quando.

118 Ms.: quando.

Respondetur: si Deus facit quod obiectum sive naturale sive supernaturale alio modo se habet in se quam a lumine naturali illum percipiatur, ita ut illum in errorem incidat, Deus saltem praeberet intellectui occasionem errandi; sed Deus, cum sit summe verax, nec etiam occasionaliter nequit nos inducere in errorem; ergo etc.

Respondetur: distinguitur maior: 'per accidens et improprie praeberet intellectui occasionem errandi', conceditur; maior: 'per se et proprie', negatur maior; et eodem modo distinguitur minor, negatur conclusio. Itaque Deus in dicto casu non praebet per se et proprie occasionem errandi, ordinando actionem suam ad errorem et ipsum intendendo, sed¹¹⁹ si per accidens et improprie, quatenus humana mens propter sui infirmitatem et debilitatem seu defectibilitatem veritatem illius rei non penetraret. Hoc modo dici potest quod Deus praebet occasionem peccandi ex quo praecepta evangelica et dechalogi nobis imponent.

Arguitur secundo: principium supradictum Chartesii convenit cum doctrina peripateticorum; ergo frustra impugnatur. Probatur antecedens: apud peripateticos est indubitata haec regula: quod est evidens est verum; sed hoc idem affirmat Chartesius; ergo etc. Probatur minor: Chartesius dicit id esse verum quod clare et distincte percipitur; sed id quod clare et distincte percipitur est evidens; ergo si (557) id quod est evidens est verum, et id quod clare et distincte percipitur verum est; ergo etc.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem dico quod peripatetici, cum dicunt id quod evidens esse verum, loquuntur de evidentia simpliciter dicta, que se tenet tam ex parte rei cognitae quam ex parte cognitionis, seu que est cognitio omnino conformis obiecto quod repraesentat, in qua conformitate veritatem constituunt. Unde triplicem in re evidentiam distinguunt: prima est evidentia apparens sed non vera; secunda vera sed non apparens; tertia vera simul et apparens. Igitur peripatetici non dicunt quod quotiens res aliqua sit in se vera vel evidens, talis debeat esse in mente per iudicium reflexum, sed ad hoc requirunt quod res illa, videlicet propositio, exempli gratia haec 'totum est maius sua parte', debeat omnibus hominibus illam concipientibus vera[m] apparere; secundo quod ab hominibus sapientibus ut evidens iudicetur. Unde apud peripateticos aliquae cognitiones sunt obscurissimae, et tamen sunt verae,

119 Ms. add. si.

ut contingit in veritatibus fidei; aliae sunt verae sed non evidentes, quod non salvatur iuxta Chartesii principia.

Arguitur ultimo: si ille dum clare et distincte aliquid percipit iudicaret illud esse verum, quod reipsa est falsum, illud perciperet et non perciperet clare et distincte obiectum, sed hoc implicat contradictionem; ergo etc. Antecedens probatur, quia illud perciperet clare cum claram cognitionem haberet <et> non perciperet clare quia falleretur. (558)

Respondetur: distinguitur maior: 'secundum idem'; negatio maioris: 'secundum diversa'. Conclusio maioris: perciperetur enim clare obiectum quoad apparentiam, et non perciperet clare prout in se perciperet clare, quia crederet se illud clare percipere; sed hoc revera non contingeret; perciperet clare obiectum in esse sensibili spectatum, non tamen in re intelligibili.

Articulus tertius. De Epicuri praecognitis a Gassendo eiusque sectatoribus receptis

Petrus Gassendus Dinensis ecclesiae praepositus, ut recentiorum more novatoris auram ibi captaret, Epichuri philosophiam iamdiu a scholis eiectam hisce temporibus denuo in medium protulit et restauravit.

Epichurus autem suam philosophiam in tres partes distribuit, Canonicam scilicet, Physicam et Eticham. Prima pars Canonica seu Regulativa (quae apud nos logica dicitur) ita appellatur quia in ea tunc statuit Epichurus chriteria seu instrumenta iudicandi veritatem, et pro unoquoque chriterio quatuor canones seu regulas assignat.

Primum chriterium est: *sensus*, scilicet externus, quo utendum est ad iudicandam veritatem in rebus sensibilibus¹²⁰; primo canon seu regula pro isto chriterio est: *Sensus numquam fallitur ac proinde omnis sensio omnisque fantasia seu apparerentiae perceptio vera est*¹²¹. Per fantasiam non intelligit Epichurus sensum internum, quem nos etiam imaginativam appellamus, sed actionem sensus externi; sic actio qua oculus videt baculum in aqua curvum ut apparenter fractum

120 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 1 *De veritate illiusque criteriis* (GASSENDI 1658, t. III, 5).

121 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 2 *Canones de sensu criteriorum primo, canon 1* (GASSENDI 1658, t. III, 5).

vocatur ab Epichuro fantasia eaque apud ipsum vera est.

Secundus canon est: *opinio est consequens sensuum sensuque superadiecta inquam veritas vel falsitas etc. cadit*¹²². In hoc canone nomine 'opinionis' intelligit Epicurus iudicium de re, et docet quod iudicium de re habetur postquam illa per sensus externos attingimus; quod iudicium aliquando falsum est, quando scilicet de re illa confestim iudicamus. Unde infert huiusmodi iudicium de rei veritate non esse desumendum a re qualiter prima fronte sensui apparet, sed expectandum esse ab evidentia cui amplius contradici non possit.

Tertius canon est: *opinio illa vera est cui suffragatur, vel non refragatur sensus evidentia*¹²³. Suffragatio apud Epicurum est comprehensio rei per evidentiam sensuum, sicut remotis omnibus obstaculis quae poterant impedire ne res attingeretur ut est in se. Sic verbi gratia hominem a longe accedentem conicio esse Petrum, at cum appropinquaverit sublato impedimento intervalli fit sensus suffragatio, id est clara et evidens cognitio Petri quae vera est.

Quartus canon: *opinio illa falsa est cui non refragatur vel non suffragatur sensus evidentia*¹²⁴, per quem docet ut iudicium aliquod sit verum necessariam esse evidentiam sensuum, quae non (560) iudicio consonet, adeo ut iudicium illud falsum sit quod ab evidentia sensuum est dissonum¹²⁵.

Secundum criterium dicitur ab Epicuro *anticipatio seu praenotio* quod datur pro dignoscendis rebus quae sensum effugiunt. Per 'anticipationem' vero et 'praenotionem' intelligit Epicurus rerum ideas seu species, quae sensuum exteriorum ministerio in mente exformantur; ex audito enim leonis vel hominis statim producuntur in mente harum rerum ideae sive species, mediis quibus illius habet anticipatam notionem seu praenotionem de ipsis.

Primus canon huius criterii: *omnis quae in mente est anticipatio seu praenotio dependet a sensibus, idque fit videlicet incursione vel proportione vel similitudine vel compositione*¹²⁶ per quam regulam Epicurus docet omnem ideam in nobis fieri debere quatuor modis. Primo, *incidentia seu incursione*, nempe quando res di-

122 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 2, canon 2 (GASSENDI 1658, t. III, 6).

123 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 2, canon 3 (GASSENDI 1658, t. III, 7).

124 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 2, canon 4 (GASSENDI 1658, t. III, 7).

125 *Ibid.*

126 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 3 *Canones de praenotione anticipationeve Criteriorum altero*, canon 1 (GASSENDI 1658, t. III, 8).

recte et per se in sensum incidit seu incurrit, ut res colorata a nobis visa. Secundo, *proportione*, quando sicut illius ex idea rei perceptae sibi fingit alicam ideam rei non perceptae, ut cum ex idea hominis formatur in nobis idea gigantis aut pigmei; istae vero(?) ideae proportionantur inter se et differunt sola magnitudine seu parvitate. Tertio, *similitudine*, quando rem visam ad similitudinem rei visae imaginamur. Quarto, *compositione*, quando ex praeconceptis speciebus, exempli gratia montis et auri, efformatur tertia species quae montem aureum repraesentet (561).

Secundus canon est: *anticipatio est ipsa rei notio et quasi definitio sine qua quidquam dubitare, opinari, imo et nominare non licet*¹²⁷. Vult autem quod idea sit ita propria rei quam repraesentare detur, ut soli illi conveniat non secus ac definitio, vult etiam idea rei necessaria esse ut circa ipsam rem discurrere possimus.

Tertius canon est: *anticipatio in omni ratiocinatione principium, ad quod attendentes inferimus unum esse idem videlicet non idem cum alio coniunctum aut ab illo disiunctum*¹²⁸. Haec regula praetendit Epicurus, ut explicat Gassendus in *Animadversionibus* de canonica Epicuri pagina 140¹²⁹, quod ad discurrendum scientifice nullis aliis regulis opus sit quam rerum ideis quatenus una ex alia infertur.

«Quartus»¹³⁰ canon est: quod *inevidens est ex rei evidentis anticipatione demonstrari debet*¹³¹, per quam regulam monet Epicurus rem obscuram per ideam rei accidentis manifestanda fore, quare pori in corpore nobis obscuri per ideam sudoris nobis evidenter manifestantur.

Tertium criterium est *passio seu affectus*, quod ponitur ad dignoscendam veritatem in rebus moralibus seu ad discernendum inter ea quae amplectenda sunt vel fugienda. Nomine autem ‘passionis’ vel ‘affectionis’ intelligit affectus voluptatis et doloris¹³².

127 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 3 *Canones de praenotione anticipationeve Criteriorum altero*, canon 2 (GASSENDI 1658, t. III, 8).

128 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 3 *Canones de praenotione anticipationeve Criteriorum altero*, canon 3 (GASSENDI 1658, t. III, 8-9).

129 GASSENDI 1649, 140.

130 Ms.: quintus.

131 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 3 *Canones de praenotione anticipationeve Criteriorum altero*, canon 4 (GASSENDI 1658, t. III, 9).

132 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 4 *Canones de affetione passioneve criteriorum postremo* (GASSENDI 1658, t. III, 9).

Primus canon pro isto chriterio est: *voluptas quae nullam habet annexam molestiam amplectenda est*¹³³. Docet enim Epichurus (562) voluptatem et molestiam esse in nobis principia prosecutionis et fugae, adeo ut omnes nostrae actiones in hunc finem dirigi debeant, ut corpore non doleamus neque animo perturbemur.

Secundus canon est: *ea molestia quae nulla habet annexam voluptatem est fugienda*¹³⁴.

Tertius canon est: *ea voluptas que aut maiorem impedit voluptatem aut maiorem parit molestiam fugienda semper est*¹³⁵.

Quartus canon est *ea molestia quae aut maiorem avertit molestiam aut uberiolem creat voluptatem est amplectenda*¹³⁶.

Hiis suppositis

Dico primo: primum chriterium Epichuri, scilicet sensus, non est legitimum diudicandae veritatis instrumentum; et idem dicendum est circa eius canones.

Antequam ad hoc probandum accedamus advertendum est caertum esse apud omnes peripateticos quod omnia nostra cognitio pro hoc statu ortum habet a sensibus, quapropter si in cognitione sensuum serventur omnes conditiones supra enumeratae in articulo primo in responsione ad instantiam secundi argumenti¹³⁷, possunt quidem sensus esse instrumenta legitima ad dignoscendam rei veritatem. Si vero absque limitationibus supra positis loquamur, hoc falsum est. Et probatur primo ex auctoritate divi Augustini qui thomo <octavo>¹³⁸ *de Civitate Dei* ait «absit ut iis comparandi videamur qui posuerunt iudicium veritatis in sensibus corporis, eorumque (563) insidiis et fallacibus regulis, omnia quae dicunt metienda esse censuerunt»¹³⁹, ut Epichurus et quicumque alii tales etc.

Probatur secundo ratione: quod inducit illum in errorem non est legitimum co-

133 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 4 *Canones de affetione passioneve criteriorum postremo, canon 1* (GASSENDI 1658, t. III, 9).

134 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 4 *Canones de affetione passioneve criteriorum postremo, canon 2* (GASSENDI 1658, t. III, 9).

135 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 4 *Canones de affetione passioneve criteriorum postremo, canon 3* (GASSENDI 1658, t. III, 9).

136 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 4 *Canones de affetione passioneve criteriorum postremo, canon 4* (GASSENDI 1658, t. III, 9-10).

137 V. qui 626-627.

138 Ms.: quinto.

139 AUGUSTINUS, *De civitate Dei*, VIII, 7.

gnoscendae veritatis instrumentum, sed sensus externus inducit intellectum illum in errorem; ergo etc. Probatur minor aliquibus experimentis: in primis enim visus, quantum est de se, inducit illum ad iudicandum solem esse illius magnitudinis qua videtur, nempe bipedale, quem in errorem nonnulli ex antiquis sunt prolapsi; fusca corpora procul spectata tamquam perfecte integra exhibet iudicanda; plurima in picturis prominere quae revera plana sunt etc.; similiter auditus digitis auribus admoti<s> tremulum quoddam murmur tamquam de sonis audientes excitat etc.; ergo etc.

Responsio Epichuri discipuli: sensum semper esse verum veritate existentiae¹⁴⁰, quae consistit in conformitate simplicis apprehensionis mentis, videlicet sensuum, ad specie<m> obiecti repraesentati, non in veritate iudicii aut enunciationis, quae est conformitas iudicii cum re iudicata. Hoc enim secundum in solo intellectu reperitur; primum vero sufficit ad hoc ut sensus externus sit infallibilis et legitima iudicandae veritatis regula. Hoc autem explicant si plura a sensu excipiantur, quod in se ita non sunt; non est tamen sensitivae facultatis iudicare vel discernere, multoque minus discurrere de intima rerum essentia, sed tantum simplicem impressionem a sensibili factam excipere, manifestum est sensus a deceptione esse immunes. (564).

Sed consequentia est <falsa>: in primis in dubium est utrum sensus sit semper verus veritate existentiae, cum sepe contingat ut spectra et phantasmata putent aliqui videre, quod revera non sit. Deinde infallibile diudicandae veritatis instrumentum numquam debet in illum errorem ducere; sed quamvis sensus sit sensus veritate existentiae, tamen illum in errorem inducit, ut cum sensorium bile infectum inducit in illum ad iudicandum cibum dulcem amarum esse; ergo etc. Praeterea: illud quod inducit illum ad praestandum iudicium falsum non est legitimum iudicandae veritatis instrumentum; sed sensus inducit illum ad praestandum iudicium falsum; ergo etc. Probatur minor: iudicium illud est falsum quod scilicet est conforme obiecto ut apparet, et est difforme ab illo prout est in se; sed sensus inducit illum ad praestandum tale iudicium; ergo etc. Minor patet in exemplis supra allatis. Quapropter parum interest quod non sit sensitivae facultatis iudicare vel discernere, sed est excipere impressionem eo

140 GASSENDI, *Syntagma Philosophiae Epicuri*, I, 1 *De veritate illiusque criteriis* (GASSENDI 1658, t. III, 4).

modo quo fit; id enim ad plurimum concludit sensus non falli nec probant enim quod non fallant; et hoc sufficit ut nequeant esse regula infallibilis diudicandae veritatis.

Ex quibus patet falsos etiam esse canones pro primo chriterio ab Epicuro assignatos, ut praeter rationes adductas primo in sacra Eucharistia, circa quod iudicium luteranorum et calvinistarum falsum est, quamvis suffragetur vel non refragetur sensus evidentia, quia ad sensus attendentes iudicant accidentia hostiae consecratae coniungi cum ipsa substantia panis. (565)¹⁴¹

Solvuntur argumenta

Arguitur primo: sensus externus semper est verus; ergo etc. Probatur antecedens: veritas sensus externi consistit in conformitate ipsius cum obiecto percepto; sed sensus externus semper est obiecto conformis, cum semper sit conformis speciei ab obiecto immissae, quae species talis revera est in se qualis est in sensu; ergo etc.

Respondetur: negatur antecedens: 'semper est simpliciter verus', negatur antecedens. 'Simpliciter vel secundum quid', conceditur antecedens et negatur consequens. Itaque sensus externus est simpliciter verus quando est obiecto conformis prout est in se, est tamen secundum quid verus quando est obiecto conformis secundum speciem praecise, quae ab illo immittitur, ut patet in exemplis supra allatis.

Instantia: atqui quando sensus est conformis obiecto secundum speciem ab illo immissam est conformis obiecto secundum se; ergo est semper simpliciter verus. Probatur minor subsunta: obiectum sensus externi eodem modo se habet in se quo repraesentatur in specie; ergo etc.

Respondetur negando minorem subsumptam. Ad primum, distinguitur antecedens claritatis gratia: 'si species repraesentat obiectum ut est in se', conceditur antecedens; 'si repraesentet obiectum ut apparet in medio etc.', negatur antecedens. Igitur obiectum sensus externi aliquando aliter apparet in medio ac sit in se, ut patet in cibo in se dulce, qui tamen applicatus gustui bile infecto amarum apparet (566) adeoque tamen gustus est conformis obiecto secundum speciem immissam, non tamen secundum se.

141 *Ms. add. et del.* Articulus quartus.

Dices: sensus semper fertur in obiectum ut est in se; ergo etc.

Respondetur: vel negatur antecedens ex dictis, vel distinguitur antecedens: fertur in obiectum ut est in se quoad rationem sensibilem sui significativam; conceditur antecedens; 'quoad alia' negatur antecedens et consequens. Igitur sensus visus, exempli gratia, semper fertur circa colorem; multotiens tamen non attingit illum secundum quod est talis color, et multo minus attingit identitatem vel distinctionem illius ab alio, quare contingit ut mel pro felle apprehendat, cicatrices in corpore mortuo easdem existimet quod in corpore vivo etc.

Instabis: sensus externus est potentia falsitatis incapax; ergo etc. Probatur antecedens: est incapax affirmationis et negationis quae ad solum intellectum pertinent; ergo etc.

Responsio: distinguitur antecedens: 'est incapax falsitatis apprehensiva'; negatur antecedens; 'iudicative substantiae sensibilis occasionaliter', <conceditur>¹⁴² antecedens. Sensus igitur est incapax falsitatis ab iudicio provenienti ut probat argumentum; est tamen capax falsitatis apprehensivae lumine qua nempe apprehendit obiectum aliter ac est in se, et haec apprehensio est occasio falsitatis iudicativae.

Queres quomodo dignoscendum sit quando id quod sensus attingit non sit in se sicuti per sensum repraesentatur.

Respondetur quod iam supra ostendimus (567) et qualiter sit sensibus credendum. Deinde dico illud esse dignoscendum ex aliis sensationibus, quando una sit aliam corrigere, verbi gratia visus enunciat remum inflexum in aqua, qui revera inflexus non est; error hic <a tactu>¹⁴³ detegetur; quamvis enim unus sensus non sit alio certior secundum se, est tamen certior per accidens quatenus impedimentum quod uni obstat possit alteri non obesse; sic aqua que impedit ne remum visui repraesentetur prout est in se, non impedit tamen ne tactus illum prout est in se attingat. Similiter, dum medio visu propter similitudinem coloris mel professe apprehendimus, potest per gustum hic error corrigi; gustando enim in felle amaritudinem statim deprehendimus non esse mel etc. Quapropter de sensu valde dubitandum est quotiens eius perceptio non convenit cum perceptione aliorum sensuum. Si vero choereat maius, habemus sed non infalli-

142 Ms.: negatur.

143 Ms.: actatu.

bile veritatis argumentum. Unde standum est rationis iudicio, que, si aliquando decipiatur, potest nihilominus intellectus super operationem suam reflectere, et in ea reflexione suamet deceptionem cognoscere atque corrigere.

Sed dices: obiectum unius sensus, verbi gratia visus, nequit ab alio, exempli gratia tactu, attingi; ergo nequit unus sensus alium corrigere.

Respondetur: distinguitur consequens: 'nequit alium corrigere circa sensibile proprium', conceditur consequens. 'Circa sensibile commune vel per accidens', negatur consequens. Igitur, ut videbimus in libro *de Anima*, tria sunt sensuum (568) obiecta: primum est sensibile proprium, quod est specificativum et distinctivum potentiae ab aliis, ut sonus respectu auditus, color respectu visus etc. Secundum est sensibile commune, quod a pluribus sensibus attingitur, sicut magnitudo et figura, quae attinguntur a visu et tactu; distantia que attingitur a visu, odoratu, auditu etc. Tertium est sensibile per accidens, quod est ipsum obiectum materiale, quod substat obiecto generali ut panis etc. Quamvis igitur nequeat unus sensus alium corrigere circa sensibile proprium, potest tamen illud corrigere circa sensibile commune et per accidens. Sic dum visus attingit colorem fellis colori mellis similem, ratione autem putamus ipsum esse mel; gustus certe non corrigit visum circa sensibile proprium, scilicet circa colorem, sed circa sensibile per accidens et etiam circa subiectum cui substat talis color.

Replicabis: illum nequit sensum corrigere; ergo sensus debet esse legitimum instrumentum iudicandae veritatis. Probatur antecedens: nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu; ergo illum indiget sensu ut intelligat; ergo debet fidere illi quo nequit illum corrigere.

Respondetur: negatur antecedens; ad probationem antecedentis distinguitur consequens: 'ergo indiget sensu tamquam conditione praerequisita ad intelligendum', conceditur consequens. 'Tamquam instrumento ad iudicandam veritatem', negatur consequens. Igitur ad solum intellectum spectat veritatis iudicare, cuius munus est omnia attente circumspicere, et non unam aut paucas, sed multiplicatas considerare sensationes, quibus fiat certior (569) de veritate obiecti.

Circa secundum Epicuri criterium dicendum est quod eo ipso quod nomine 'anticipationis' seu 'praenotionis' sumuntur rerum ideae, est quidem chrite-

rium necessarium ad scientias, quandoque sanctus Doctor *Prima*¹⁴⁴ questione <XV>¹⁴⁵ articulo primo dicit cum divo Augustino «tanta vis in ideis constituitur ut nisi his intellectis sapiens esse nemo possit»¹⁴⁶. Verum tamen est ideas solas non sufficere, quia habere ideas commune est omnibus hominibus quantumvis rustici, qui tamen nullam habent scientiam, tum quia si rerum ideae possint cognosci ut verae in se, non tamen sensibiliter <sed>¹⁴⁷ illative nisi habeantur etiam modi sciendi in summulis expositi. Deinde ultra ideas requiruntur regulae definiendi, dividendi, arguendi etc. Quapropter cum ad perfectam ratiocinationem requiratur sensatio, illatio unius ex alio, si haec non autem habentur, per solas ideas non poterit¹⁴⁸ acquiri scientia, neque veritas iudicari.

Dices: definitio rei est legitimum rei cognoscendae instrumentum; sed idea rei est illius definitio; ergo etc. Probatur minor: definitio rei est illud quod res ab aliis differt; sed per ideas res ab aliis differt; ergo etc.

Respondetur: nego maiorem; ad probationem distinguitur minor: 'differt imperfecte', conceditur minor. 'Perfecte subiecto, si idea sit connexa cum modis sciendi', conceditur minor. 'Si non sit ab illis connexa', negatur minor. Omnia patent.

Circa tertium criterium non est cur immoratur, cum sordescat etiam de illo loqui. Satis sit scire quod, cum Epicurus (570) et Democritus nimium sensibilibus adiecti non cognoscerent nisi substantias corporeas, ut notat divus Thomas *Opusculo* 18 cap. 9¹⁴⁹ et Augustinus *Epistula* 56¹⁵⁰, coherenter ad sua principia dixerunt beatitudinem sitam esse in delectationibus corporalibus, animam esse mortalem et sitam esse in dispositione corpusculorum. Quod quantum rationi et conscientiae repugnet nemo est qui non videat. Quare divus Augustinus in *Psalmum* 73 post commentum illorum verborum «ne avertaret humilis factus confusus» vocat Epicurum *porcum*¹⁵¹. Et hae sufficiant pro brevi notitia principiorum Chartesii et Gassendi.

144 Ms. *add.* primae.

145 Ms.: II.

146 THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae*, Ia, q. 15, art. 1.

147 Ms.: ut.

148 Ms. *add.* per solas ideas.

149 THOMAS AQUINAS, *De perfectione vitae spiritualis*, IX, «De his quibus homo iuvatur ad continentiam servandam» (THOMAS AQUINAS 1587, 208-210).

150 AUGUSTINUS, *Epistola ad Macedonium*, 52 (153 nell'edizione della Patrologia Latina).

151 AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, 73, 25.

APPENDICE 2

Tractatus Summularum

Articulus primus de methodo (Goudin, *Logica Minor*. Quaestio praeambula, Art. primus)

A2 de modo sciendi in communi (Goudin, *Logica Minor*. Quaestio praeambula, Art. secundus)

A3 de divisione et argumentatione¹⁵²

Pars Prima

Articulus primus de signo

A2 de termino (Goudin, *Prima Pars Logicae Minoris*, Art. primus)

A3 de suppositione

A4 de reliquis terminorum proprietatibus (Goudin, *Prima Pars Logicae Minoris*, Art. tertius, II)

Pars Secunda

Articulus primus de oratione, nomine et verbo

A2 de propositione (Goudin, *Secunda Pars Logicae Minoris*, Art. primus: quid sit propositio, ubi de oratione nomine, verbo et signo)

A3 de oppositione propositionum

A4 de equipollentia

A5 de conversione (Goudin, *Secunda Pars Logicae Minoris*, Art. tertius: de tertia propositionis proprietate, scilicet conversione)

152 GOUDIN 1729, t. I, 66-67: *Logica Minor*, *Quaestio praeambula*, art. 3: *de definitione*; art. 4: *de divisione*.

Pars Tertia

Articulus primus de essentia et divisione argumentationis (Goudin, *Tertia Pars Logicae Minoris*, Art. primus)

A2 de materia et forma syllogismi (Goudin, *Tertia Pars Logicae Minoris*, Art. secundus)

A3 de figuris et modis syllogismi (Goudin, *Tertia Pars Logicae Minoris*, Art. tertius)

A4 de regulis generalibus syllogismorum cuiuscumque figurae

A5 de divisione syllogismi eiusque proprietatibus

A6 de reductione (Goudin, *Tertia Pars Logicae Minoris*, Art. quartus: de proprietatibus syllogismi, probatione scilicet et reductione)

A7 de syllogismorum fallaciis

A8 de arte inveniendi medium

A9 de ordine disputandi

Logica Maior Tractatus Primus

Quaestio prima de obiecto logicae (Goudin, *Logica Maior*. Quaestio praeambula, Art. primus)

Q. 2 de ipsa logica

Tractatus Secundus De Universalibus

Quaestio prima de universalibus in communi (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio prima, quaestio prima)

Q. 2 de universalibus in particulari (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio prima, quaestio secunda)

Tractatus Tertius De Praedicamentis

Quaestio prima de ante praedicamentis (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio se-

cunda, quaestio prima)

Q. 2 de praedicamento substantiae (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio secunda, quaestio secunda)

Q. 3 de praedicamento quantitatis (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio secunda, quaestio tertia)

Q. 4 de praedicamento relationis (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio secunda, quaestio quarta)

Q. 5 de praedicamento qualitatis (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio secunda, quaestio quinta)

Q. 6 de sex ultimis praedicamentis (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio secunda, quaestio sexta)

Q. 7 de post praedicamentis (Goudin, *Logica Maior*. Disputatio secunda, quaestio septima)

Tractatus Quartus De Posterioribus Analyticis

Quaestio prima quae necessario praerequirantur ad demonstrationem

Q. 2 quod assensus praemissarum concurrat ad assensum conclusionis

BIBLIOGRAFIA

Fonti manoscritte

Pistoia, Biblioteca Forteguerriana, fondo Alberto Chiappelli, ms. 249.1

Fonti a stampa

ARCANGELI 1891 = GIOVANNI ARCANGELI, *Brevi notizie sul Seminario-Collegio Vesco-vile di Pistoia*, Pistoia, Tipografia Niccolai, 1891.

ARIEW 1997 = ROGER ARIEW, «Critiques scolastiques de Descartes: le cogito», *Laval théologique et philosophique* 53 (1997), 587-603.

ARIEW 1999 = ROGER ARIEW, *Descartes and the Last Scholastics*, Ithaca-London, Cornell University Press, 1999.

ARIEW 2011 = ROGER ARIEW, *Descartes Among Scholastics*, Leiden-Boston, Brill, 2011.

ARIEW 2014 = ROGER ARIEW, *Descartes and the First Cartesians*, Oxford, Oxford University Press, 2014.

ARISTOTELES 1576 = ARISTOTELES, *Metaphysicorum libri XIII*, Venetiis, Ex officina Saliciana, 1576.

AT = RENÉ DESCARTES, *Oeuvres*, ed. CHARLES ADAM, PAUL TANNERY, Paris, Léopold Cerf, 1897-1913.

BIANCHI 2003 = LUCA BIANCHI, «Una caduta senza declino? Considerazioni sulla crisi dell'aristotelismo fra Rinascimento ed età moderna», in LUCA BIANCHI, *Studi sull'aristotelismo del Rinascimento*, 133-172, Padova, Il Poligrafo, 2003.

BROCKLISS 1987 = LAWRENCE W.B. BROCKLISS, *French Higher Education in the Seventeenth and Eighteenth Centuries: A Cultural History*, Oxford, Clarendon Press, 1987.

CATALOGO 1982 = *Catalogo di manoscritti filosofici nelle biblioteche italiane*, 3, Firenze, Pisa, Pistoia, Firenze, Olschki, 1982.

CATALOGO 1992 = *Catalogo di manoscritti filosofici nelle biblioteche italiane*, 6, Atri, Bergamo, Cosenza, Milano, Perugia, Pistoia, Roma, Siena, Firenze, Olschki, 1992.

CELLAMARE, MANTOVANI 2023 = DAVIDE CELLAMARE, MATTIA MANTOVANI (eds.), *Descartes in the Classroom. Teaching Cartesian Philosophy in the Early Modern Age, 477-500*, Leiden-Boston, Brill, 2023.

DE LA VILLE 1680 = LOUIS DE LA VILLE (LE VALOIS), *Sentiments de M. Descartes touchant l'essence et les proprieté du corps opposez a la doctrine de l'église et conformes a l'erreurs de Calvin sur le sujet de l'Eucharistie*, Paris, Chez Estienne Michallet, 1680.

FRASSEN 1726 = CLAUDIUS FRASSEN, *Philosophia Academica, Romae*, Ex typographia Rocchi Bernabò, 1726.

GARBER 1988 = DANIEL GARBER, «Descartes, the Aristotelians, and the Revolution that did not Happen in 1637», *The Monist* 71 (1988), 471-486.

GASSENDI 1649 = PIERRE GASSENDI, *Animadversiones in Decimum Librum Diogenis Laertii qui est de vita, moribus placitisque Epicuri*, Lugduni, Guillelmus Barbier, 1649.

GASSENDI 1658 = PIERRE GASSENDI, *Opera omnia in sex tomos divisa*, Lugduni, Sump-tibus Laurentii Anisson, et Joan. Bapt. Devenet, 1658.

GOUDIN 1729 = ANTOINE GOUDIN, *Philosophia iuxta inconcussa tutissimaque Divi Thomae dogmata logicam, physicam, moralem et metaphysicam quatuor tomis complectens*, Venetiis, Apud Domenicum Lovisam, [1729].

MALEBRANCHE 1946 = NICOLAS MALEBRANCHE, *De la recherche de la vérité*, ed. GENE-VIÈVE LEWIS, Paris, Librairie Philosophique J. Vrin, 1946.

MORUS 1716 = MICHAEL MORUS, *Vera sciendi methodus*, Lutetiae Parisiorum, Ex typographia Theobustea, 1716.

POURCHOT 1695 = EDMUNDUS PURCHOTIUS, *Institutio philosophica ad faciliorem veterum ac recentiorum philosophorum lectionem comparata*, Parisiis, Apud Joannem Baptistam Coignard, 1695.

POURCHOT 1730 = EDMUNDUS POURCHOTIUS, *Institutiones philosophicae ad faciliorem veterum ac recentiorum philosophorum lectionem comparatae*, Venetiis, Apud Joannem Manfré, 1730.

RAPETTI 1999 = ELENA RAPETTI, *Pierre-Daniel Huet: erudizione, filosofia, apologetica*, Milano, Vita e Pensiero, 1999.

RAPETTI 2003 = ELENA RAPETTI, *Percorsi anticartesiani nelle lettere a Pierre-Daniel Huet*, Firenze, Olschki, 2003.

SCHMALTZ 2023 = TAD M. SCHMALTZ, «French Cartesianisms in the 1690s: the Textbooks of Regis and Pourchot», in DAVIDE CELLAMARE, MATTIA MANTOVANI (eds.), *Descartes in the Classroom. Teaching Cartesian Philosophy in the Early Modern Age, 477-500*, Leiden-Boston, Brill, 2023.

THOMAS AQUINAS 1587 = THOMAS AQUINAS, *Opuscula omnia*, Venetiis, Apud haeredem Hieronymi Scoti 1587.

VINCENT 1658-1671 = JOHANNES VINCENTIUS, *Cursus philosophicus in quo totius scholae quaestiones fere omnes aequa perspicuitate ac doctrina in utramque partem propugnatur*, Tolosae, Excudebat Ioannes Boude, 1658-1671.

VINCENT 1677 = JOHANNES VINCENTIUS, *Discussio Peripatetica in qua Philosophiae Cartesianae Principia per singula fere capita seu articulos dilucide examinantur*, Tolosae, Ex officina Colomeriana et Posuelliana, 1677.